



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 173. Et soror matris eius Maria Cleophæ, § Maria Magdalenæ. v. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

maxima tamen cum fortitudine & constantia. Impetus Passionis Domini tantus fuit ut quasi torrens ipsum patientem dolore impleteret: sed ipso impleto iam in matrem defluebat pleno cursu; ut & ipsam impleteret. Denique & ab ipsa iam impleta rursus refluebat in filium. Sic ubi erat reciprocatio amoris respiciebatur & reciprocatio doloris, quia ab utriusque corde in cor utriusque vicissim refundebatur amor & dolor inexplicabilis, amor mutuae charitatis & dolor mutuae compassionis.

O Languores Domini Iesu! ô profundam dolorum matris abyssum! Eia mater fons amoris, me sentire vim doloris fac ut tecum lugeam: fuit enim mater istud agat crucifixi fige plagas, cordi meo valide: fac me vere tecum flere, crucifixo condolere quoad usque vixero: luxta crucem tecum stare, te libenter sociare in planctu desidero.

§. 173. Et soror matris eius Maria. Cleophae, & Maria Magdalena. v. 25.

Adducit hic Evangelista. & alios tanquam ferventiores in Christi amore, Mariam scilicet, Cleophae uxorem & matrem S. Apostoli Iacobi Minoris, cognatam B. Mariae Virginis vel. affinem denique Mariam Magdalenam, individuum comitem Virg. Mariae quae fuit ex Magdalo arce, & de qua. 7. Daemonia eiecerat. Iesus. Hæ sicuti in vita ei continuo adfuerant & adhæserant, ita in morte eum non deseruerunt. Præstantes officium veræ amicitiae, quæ non deserit. amicum hiemali adversitatis tempore, sicuti hirundines & aliæ aves multæ transmigrantes, pro sua opportunitate. Hæ vident amicum Iesum. benefactorem suum in Calvariae monte, inter spurcitas & fœtores cadaverum, ceu in sterquilino pendentem, exulceratum, confixum ac velut leprosum à vertice ad calcem percussum adstant ei, & cum aliter non possint, lacrymis vulnera eius unguunt, in silentio confidunt tanti viri miseria, qui tamen divinitatis & maiestatis fulgore ac potentia omnem à se propulsare valebat caliginem calamitosam, sed tunc ei nostræ salutis causa totus involvebatur.

O Qualis fuit iste aspectus! qualis iuxta statio viri & mulierum! credo quod illis purgatus sit ille nefandus aspectus, quo se solent venereo intuitu aspicere filii huius sæculi. Credo quod illa statio purgatae sine stationes illæ infandæ, quæ per orbem fiunt inter viros & scæminas luxuriam sedantes. O quam caro steterunt tibi Domine Iesu illæ carnalium hominum nudæ conversationes, & in plâteis, & angulis, & templis consistentiæ, & confabulationes! quæ tam acerbe in hac assistentia mulierum piarum iuxta te nudum, & silentem purgabantur.

§. 174.